

10 Secunda & vera affirmat. Licet occidere aggressorem in via.

Negativam sententiam tenent Menochius, Homobonus, & alii quos citant, ac sequuntur Bonacina de contract. disp. 2. quest. ultima sect. 1. punct. 2. num. 3. Julius Clarus in praxi criminali lib. 5. §. Homicidium, nu. 61. & ideo hanc sententiam tenent, propter periculum damnationis, cui frequenter exponitur bannitus, si in tali statu proditorie occidatur, & ideo dicunt Naldus verbo Bannitus, numer. 11. & Lezana eodem verbo, num. 10. quod taliter occidens bannitum peccabit non contra iustitiam, sed contra charitatem.

Naldus. Lezana.

10. Molina. Fillucius. Azor. Diana.

Dico tamen, quod licet sit proditorie, ac per insidias occidere bannitum. Ita Molina de iustitia, tom. 4. tract. 3. disp. 7. n. 1. Fillucius tom. 1. tract. 25. cap. 2. num. 25. Azor, tom. 3. lib. 2. cap. 2. quest. 3. Diana part. 5. tract. 4. de homicidio Resol. 25. Quae sententia, ex eo mihi probatur, quia quilibet est minister iustitiae in isto casu, & potest gladio occidere bannitum, absque peccato contra iustitiam, vel charitatem: ergo etiam eum potest occidere proditorie, ac per insidias, nulla enim major ratio apparet, nec ratio in contrarium urget. Quia bannitus sua culpa a peccatis cessare non vult, majorque ratio habenda est boni publici, quam particularis illius, qui cum sibi prospicere posset, non vult.

11. Molina. L. i. C. quando.

Ex quo accipie eum, Molina, citato loco, juxta l. i. C. quando liceat unichique sine iudice, &c. Ubi videtur concessum interficere grassatorem, qui vias publicas tenet, quoniam in defensionem suam, & aliorum, quibus ille mortem, & alia damna praeparat, hoc videtur in iustam vindictam publica auctoritate concedi.

QUESTIO IV.

An liceat occidere bannitum extra territorium proscriptoris?

SUMMARIUM.

- 12 Prima sententia affirmat licitum esse.
13 Secunda, & communis negat.
14 Excipiunt, nisi id fiat de consensu Principis territorii, & si fuerit bannitus a Papa.
15 Prima sententia probabilis, si bannitus fuerit facinorosus.
16 De poena homicidii.

12. Grassius. Megalius. Clarus. Baldus.

Aliqui sunt Doctores, qui absolute affirmant licitum esse extra territorium iudicis, vel proscriptoris occidere bannitum. Ita Grassius part. 1. lib. 2. cap. 62. num. 57. Megalius tom. 1. variar. resolut. 60. num. 5. cum Claro, citato num. 66. & Baldo in l. cunctos populos n. 9. Tum quia constitutio potest ligare personas extra territorium existentes. Tum quia maxime conveniens est publicae utilitati, ut tales ubicunque fuerint, perimantur, ac iterum revertantur, & provinciam cladibus, furtis, ac violentiis molestant.

Tamen communis est opposita, quod scilicet nullus Bannitus occidi potest extra territorium principis, ac iudicis, qui illum proscriptit. Ita Toletus, Azor, Fillucius, Reginald. S2. Bonacina, Layman, Diana, Basseus.

13.

Excipiuntur tamen a citatis Doctoribus duo casus. Primò, si princeps, vel Dominus talis territorii expressè, vel implicite consentiat, tunc non erit peccatum contra iustitiam ibi bannitos occidere. Secundò, nisi talis reus esset bannitus a summo Pontifice, qui cum habeat jurisdictionem illimitatam per totum orbem, potest mandare occasionem hominis a se proscripti in quocunque territorio.

14.

Hæc secunda sententia est valde communis, tamen etiam probabilis est, quod si bannitus sit valde facinorosus, bonoque communi perniciosus, quod possit occidi extra territorium bannientis. Ita colligitur ex l. 5. §. Fin. ff. de scariis, ubi dicitur transfugas, ubicunque inveniuntur, licitum esse interficere: cum constitutio ligare possit personas extra territorium, l. Magis puta §. illud ff. de rebus L. Magis eorum, de quo iste Soc. consil. 74. num. 17. Tum quia valde utile est reipublice viros facinorosos perimi, cum ubique iterum delinquant, sicque intervenire videtur titulus iustae defensionis: Tum etiam quia in isto casu videtur adesse consensus alieni principis, sicque ei non fit injuria, & esto sit invitus in casu magna necessitatis est iniuste invitus, indeque de ejus dissensu non est curandum, ita cum Grassio sentiunt Toletus lib. 5. summae capit. 6. Grass. vers. Rursus tertio Gomez in cap. 2. si statuto, Toletus numer. 42. de constitutionibus, Pellizar. tom. 2. tract. 9. n. 68. §. quod si hic.

15.

Nec obstat, quod occidens bannitum in alieno territorio, puniretur, ut homicida, quia hic in primis loquimur in foro conscientiae, si illud contingat, ex eo erit, quia ille princeps oppositam sententiam tenet, a qua se occidens defendet, cum hac sententia, & quia occidit bannitum per sententiam publicam damnatum in magnam Reipublicae utilitatem.

16.

QUESTIO V.

An liceat statutum proponens premium pro occidente bannitum?

SUMMARIUM.

- 17 Quamvis aliqui negent, tamen tale statutum licitum est, & saepe utile.

SI proponatur, verbi gratia, ut quicumque ex bannitis alium bannitum occiderit, libertate nempe donabitur, vel quicumque alius banni-

17.

QUESTIO VII.

An retinere bannitos, seu decoctores prohibetur sic Regularibus.

SUMMARIUM.

- 21 Clemens VIII. prohibet Regularibus recipere seu retinere bannitos.
22 Non tamen prohibetur in casibus, quibus immunitas suffragatur.
23 Epistola Clementis solum obligant Neapolitanos, & in Aprutia.

21. Clem. VIII.

DE mandato Clementis VIII. editum fuit decretum a Sacra Congregatione Regal. die 17. Aprilis anno 1560. quo preceptum, ac prohibitum fuit Regularibus sub poena privationis officiorum, ne retineant bannitos decoctores, seu fallitos in suis conventibus. In cujus confirmationem afferuntur litterae Cardinalis Florentiae ad vicarium Archiepiscopatus Genuensis ad Nuntium Neapolitanum. Scortia in Selectorum Bulla Theorem 357. Peyrin. tom. 2. Privilegior. Minorum in constit. 4. Clement. VIII. a n. 5.

Scortia. Peirin. Clem. VIII. 22.

In his tamen Decretis, ac Epistolis id maxime notandum, non prohiberi recipere, vel retinere bannitos, ut immunitate Ecclesiae gaudeant, si fuerint banniti tali crimine; ut immunitate Ecclesiae gaudeant juxta constitutionem Gregorii XIV. qui tantum certos casus excipit, propter quos immunitas eis non suffragatur. Et clemens VIII. in suo Decreto, ac Epistolis non excipit alios casus ultra exceptos per Gregorium XIV. In aliis vero casibus Banniti non privantur immunitate Ecclesiae, si recipiantur, ut notant Peregrinus, de immunitate cap. 11. num. 14. Fatinaeus de immunitate cap. 22. num. 250. Diana tract. 1. Resolut. 40.

Greg. XIV. Clem. VIII. Peregrinus. Fatinaeus. Diana. 23.

Qui etiam bene notat in fine praedictae Resolutionis, quod praedictae Epistolae Clementis missae tantum fuerint Archiepiscopis Genuensibus, & Neapolitanis ac proinde in praedictis terris obligare, & non in aliis locis: ex quo etiam colligit Peirin. tom. 2. privilegiorum Minorum, constit. 4. Clementis VIII. num. 5. Quod si aliquis Regularis reciperet, aut retineret in suo conventu aliquem bannitum propter homicidium sine dolo commissum, seu non facinorosum, non incurreret praedictas poenas, quae solum contra receptores facinorosorum impositae sunt. Casus autem, quos excipit Gregorius XIV. in quibus immunitas Ecclesiae non suffragatur, referam.

QUESTIO VIII.

De Constitutione Sixti V. in Regno Neapolitano, ac Provincia Aprutii.

SUMMARIUM.

- 24 Constitutio Sixti V. pro praedictis terris.
25 Constitutio tantum procedit de vicarum grassatoribus.

29 Apra

Sotus. Bonacina. Azor. Fillucius. Homobon. Megalus. Decius. Diana. Basseus.

bannitum occiderit, accipiat certam pecuniae summam. Quamquam aliqui Doctores, ut Sotus cum Bonacina de contract. disp. 2. quest. ultima, sect. 2. punct. 2. num. 3. Tale statutum non multum approbent. Tamen Azor, Fillucius, Homobonus, Megalius, Decius, Julius Clarus, quos citant; ac sequuntur Diana, ac Basseus citati, num. 4. affirmant. Et ratio est, quia aliquando id expedit communi Reipublicae bono, ut banniti, qui sunt communes Reipublicae hostes a medio tollatur, & videmus hoc aliquando factum fuisse a Magnis Pontificibus, ut Sixto V. hoc tamen non debet fieri nisi ex magna, ac urgenti causa.

QUESTIO VI.

An Bannitus iuste damnatus ad mortem occidere possit suum aggressorem?

SUMMARIUM.

- 18 Prima sententia negat.
19 Secunda, & satis probabilis affirmat.
20 Diluitur argumentum adversariorum.

18.

PRIMA sententia, & communis tenet fas non esse bannito se defendere contra aggressorem eum occidendo, vel mutilando. Ita Azor. part. 3. lib. 2. cap. 1. quest. 11. Layman. lib. 3. de iust. tract. 3. part. 3. cap. 2. numer. 3. Sa verb. Bannitus, num. 4. M. Lezana, eodem verbo, num. 13. Fundamentum eorum est, quia idem est, ac si reus, vel malefactor condemnatus ad mortem, se defenderet contra ministros iustitiae, & occideret eos. Secundò, quia ex eo ipso, quod potest licite offendere, & occidi, admittit ei jus se tuendi: Non enim est permissa defendendi facultas, ubi offendendi est data libertas, alioquin necesse est dicere, dari posse bellum ex utraque parte per se, ac formaliter iustum, seclusa ignorantia, quod omnes negant.

Azor. Layman. Sa. Lezana.

19.

Dico, quod contraria sententia satis est probabilis, ut tenent multi Auctores: quos citat ac sequitur Julius Clarus lib. 5. sentent. §. Homicidium n. 68. & sequentibus, & Basseus verb. Bannitus, num. 2. §. Nihilominus suadetur his rationibus. Quia Bannitus non amittit jus se defendendi, & in hoc non peccat. Tum etiam quia non perdit jus naturale, & gentium. Tum etiam & tertio jus naturale non abrogatur per statutum, & sententiam humanam, Et confirmatur; quia adulter si occidit, ut se a morte defendat, non peccat, quamvis lege damnatus sit ad mortem, ergo similiter bannitus.

Clarus. Basseus.

20.

Nec argumentum de reo damnato ad mortem, quod non possit se ipsum defendere, & ministros iustitiae occidere, urget in contrarium. Quia talis reus jam est captus, & sub potestate iudicis detentus, ac patienter debet sustinere sententiam, deinde ipse reus damnatus est ad mortem, facto processu, & audita parte, quod multoties erga bannitum non fit.



26 A praedicta Censura excusat parvitas materiae, urgens necessitas, vel injusta Banniti condemnatio.

24. SEXTUS V. die 20. Martii anno 1589. Decretum edidit, & misit ad Protegem dicti Regni Neapoli, cujus exordium, Exponi nobis, & inter caetera sic ait: Ne autem dicti banniti, & viarum grassatores, condignas delicti sui poenas evadant, providere videmus, omnibus, & singulis quibusvis personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorundam ordinum, & militarium Regularibus Regni, & Provinciae huiusmodi, sub lata excommunicationis poena, a qua nisi a nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, praterquam in martis articulo absolvi nequeant, districtè prohibemus, ne dictos bannitos, & viarum grassatores, in monasteria, domos, vel alia loca recipere, seu in eis occultare, aut illis auxilium, consilium, favorem, seu victum, vel alia eis necessaria directè, seu quomodolibet prestare audeant, vel praesument non obstantibus, &c. De quo Quaranta in Summa Bullarum verb. Bannitorum fautores.

25. Circa quam constitutionem aliqua sunt notanda. Et primò, In illa solum sermonem esse de bannitis viarum grassatoribus; unde recipiendo, sive adjuvando alios bannitos, qui non sunt viarum grassatores, in hanc excommunicationem non incurrunt, proindeque à Sixto moderata est constitutio Gregorii XIII, quae incipit, Tanta, ut notant Naldus verb. Bannitus num. 8. & 9. Thesaurus in praxi part. 2. verb. Bannitus, cap. 2. Secundò, à praedicta excommunicatione Sixti V. etsi reservata sit, possunt absolvi Regulares à suis Praelatis habentibus privilegia absolvendi à censuris Papae reservatis, quia in ea constitutione non revocantur expressè privilegia Regularium, ut notat M. Lezana, verb. Bannitus num. 6.

26. Sunt aliqui casus circa Regulares existentes in Regno Neapolitano, qui excusant à censura. Et primò, Parvitas materiae, si nempe talis Bannitus ad paucas horas detineatur in monasterio ad prandium nempe. Ita Pellizar. tom. 2. tract. 7. cap. 2. num. 60. Qui etiam notat, quòd talis prohibitio non obligat Religiosum, qui excipit bannitum, certo sciens injuste fuisse damnatum, ac condemnatum; tunc enim praesumptio, in qua sententia nititur, est falsa, & in particulari casu non obligat in foro conscientiae. Tertio, Urgens necessitas banniti excusat à dicta censura, unde qui bannitum excipit graviter aegrotantem, vel in extrema necessitate ei cibum, & potum ministrat, nullam censuram contrahit: cum per epicheiram tales casus excipiantur, ne alias contraveniatur legi naturali, & divinae, cui omnis lex humana cedit. Navarr. de sentent. excommunicat. consil. 57. num. 7. & 9. Quaranta proximo citatus.

27. Quarto, Illa censura non procedit interveniente ignorantia, ut si quis excipiat bannitos, nesciens esse tales, ignorantia facit in voluntarium, & excusat à peccato. Navarr. citatus supra consil. 59. num. 1. Prosper Augustin.

in additionibus ad Quaranta supra citatum. Quo maxime verum in constituit. Sixti V. Fulmi. Sixtus IV. natur enim contra audientes, & praesumentes; ac proinde solum comprehendit operantes ex dolo. Quinto, si recipientes, & adjuvantes id faciunt coacti, ac violentati ab ipsis bannitis, adeo ut non possent aliter facere sine grandi suo periculo, lex enim humana non obligat cum tanto dispendio. Sexto, non obligat censura, si bannitus ad monasterium recurrat, ut consulat suae vitae, vel si Religiosus id fecerit animo retrahendi illum à suo malo statu, tunc enim cessat finis prohibitionis, & bannitus non excipitur ut bannitus, sed ut proximus, ex praecipuo charitatis, ut de ejus majori bono, ac salute agatur Navarr. citato consil. 57. num. 7. Septimò, etiam censura non procedit in casu, quo pater filium bannitum excipiat, aut è contra filius excipiat patrem bannitum, cum oppositum valde repugnet pietati, maxime cum hic non agatur de causa fidei, ac Religionis, in qua non paritur, neque parentibus, neque filiis Ita Azor. part. 2. lib. 3. cap. 2. q. 3. Vide quae dixi supra q. 2. num. 6.



RESOLUTIO XV.

Beatificatio Sanctorum.

QUESTIO PRIMA.

Quid sit Beatificatio, & ad quem spectet?

SUMMARIUM.

- 1. Unde derivatur nomen beatificationis.
2. Beatificatio est licentia facta à Pontifice pro aliqua provincia, vel Religione.
3. Et si canonizare, vel beatificare saltem particulariter olim spectaret ad Episcopos, hodie ad solum Pontificem Romanum.

Nomine beatificationis incipio, & deducitur à nomine Beatus, qui quamvis frequenter profelici usurpetur. Luc. 23. Beata steriles, & vovet, qua non genuerunt. Reg. 10. num. 3. Beati viri, & beati servi, qui stant coram te. Tamen ex frequenti usu Ecclesiae sumitur pro felicitate animae in gloria Deum videntis. Ita D. August. serm. 201. Boëtus, & alii. Ex hoc derivatur beatificatio, id est declaratio facta de felicitate alicujus animae Deum in gloria videntis.

Beatificatio in praesenti juxta usam Ecclesiae non fit per modum definitionis, nec ultimae sententiae à Pontifice de sanctitate, ac gloria alicujus, sed est quaedam indulgentia, concessio, seu licentia facta à Pontifice, ut in aliqua Religione, seu Provincia, aliquis defunctus beatus appellari, eique cultus aliquis cum recitatione officii divini adhiberi valeat Ut Urbanus VIII. in bulla Beatificationis B. Mariae Magdalenae de Pazzi Carmelita, ait, Ut ipsa ancilla Dei Beata nuncupari, officiumque,

que, & Missa de communi Virginum non Martyrum de ea in die obitus ejus, in tali, & tali loco recitari, & celebrari possit, auctoritate Apostolica concedimus, & indulgemus &c. Idemque constat ex bulla Beatificationis B. Francisci de Borgia Societatis Jesu ab eodem Urbano VIII. Ut Dei servus Franciscus Borgia Beatus nuncupari, & de eo à talibus, & talibus ipso die sui obitus, Missa celebrari, ac officium de communi confessorum non Pontificum recitari, juxta rubricas Missalis, & Breviarii Romani respectivè libere valeant, Auctoritate Apostolica, concedimus, & indulgemus.

Secundò quod inquirimus, ad quem negotium Beatificationis sanctorum pertineat, etsi olim canonizare, & beatificare servos Dei, saltem canonizatione, seu beatificatione particulari pro uno Regno, vel Provincia spectabat ad Episcopos, ut ex nostro Vvaldensi, & aliis tener Bellarm. tom. 2. lib. 1. de Beatitudine, & canonizatione sanctorum cap. 8. ut latius dicam infra cum de canonizatione fuerit sermo, tamen hodie ad solum Romanum Pontificem spectat, ut habetur ex Alexand. III. cap. Audiamus, & ex Innocentio III. cap. ex eo de reliq. & veneratione sanctorum. Et ratio est, quia Beatificatio seu canonizatio est quoddam iudicium, & testimonium Ecclesiae, quo declarantur honores esse dandos alicui defuncto, qui debentur sanctis in caelo regnantibus, ut probant Bellarminus citatus, cap. 7. & Fortunatus Scachus de cultu, & veneratione servorum Dei lib. 1. sect. 1. cap. 8. Baldellus, & alii, atqui hoc solum spectat ad summum Pontificem, cum ipse solus sit caput, ac supremus iudex in Ecclesia Dei.

An verò summus Pontifex possit committere beatificationem, vel canonizationem Episcopo, vel Legato à latere, seu Concilio generali maxime dubitatur, de quo vide infra, verbo Canonizatio.

QUESTIO II.

Qua differentia dentur inter Canonizationem, ac Beatificationem.

SUMMARIUM.

- 5. Auctores, qui agunt de discrimine inter canonizationem, & beatificationem.
6. In beatific. Pontifex dat licentiam, in canonizatione, definit.
7. Beatificatio non est ultimum iudicium Ecclesiae, ut est canonizatio.
8. Beatificatio est limitata pro una Provincia; canonizatio pro toto orbe.
9. Canonizatio fit cum multa solemnitate, non sic beatificatio.
10. In canonizatione Pontifex dat cultum per modum legis, in beatificatione per modum indulgentiae.

Has differentias satis late, & diffusè explicant Jacobus Castellinus de canonizatione pag. 10. & sequent. & pag. 86. Gallefin. part. 3. de canonizatione. S. Didaci cap. 6. Troylus

de canonizatione. cap. 1. num. 15. & cap. 4. num. 64. Cantelorus de canonizatione. cap. 4. num. 24. Fortunatus Scachus de cultu, & veneratione. Sanct. lib. 1. cap. 8. M. Lezana in consultationibus, consil. 1. num. 49. 50. & 51. Arriaga tract. de Fide, disp. 9. sect. 6. breviter resumendo.

Prima, & principalis est, quia in beatificatione non utitur Pontifex verbo definiente, ac decernente talem defunctum esse in gloria, sed tantum dat licentiam, & indulgentiam, ut talis colatur ut beatus recitatione officii, ac celebratione Missae in tali, & tali loco; ut patet ex superiori quaestione, n. 2. Quamvis ibi supponat illum esse beatum in gloria, tales enim honores non possunt exhiberi, nisi beato cum Deo regnanti. At in canonizatione Pontifex apponit verbum definendi, decernendi, ut patet ex bullis canonizationis Sanctorum. Appono verba ex bulla canonizationis nostri sancti Andreae Cursini ab Urbano VIII. sic ait Pontifex. Ad honorem sanctae, & individuae Trinitatis; & ad exaltationem fidei Catholicae, & Christianae Religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei omnipotentis Patris, Filii & Spiritus sancti, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra, & de fratrum nostrorum consilio, decernimus, definimus bone memoriae Andreae Cursini Florentinum Ordinis Carmelitarum Episcopum Fesulanum Sanctum esse, ac Sanctorum Catalogo adscribendum, ipsumque Catalogo huiusmodi adscribimus, statuente, ut ab universali Ecclesia anno quolibet in die obitus dicti Andreae festum, & officium ipsius sicut pro uno confessorum Pontifice, devote, & solemniter celebretur, &c. Ecce consueta forma canonizationis, quae est cum definitione, ac determinatione Apostolica. At beatificationis forma est tantum quaedam licentia, ac concessio recitandi officium de tali, ac tali viro, & ideo ut rectè notat M. Lezana citatus, num. 60. Papa in beatificatione non procedit ut iudex, sed ut Princeps dans licentiam; at in canonizatione procedit ut iudex, ac caput totius Ecclesiae per sententiam diffinitivam, statuendo ut de tali sancto fiat officium.

Secunda differentia est, quia beatificatio non est ultimum iudicium Ecclesiae in causa sanctitatis talis personae; sed proceditur deinde ad novum examen, novaeque probationes, consultationes, testes, & miracula, & antequam ad canonizationem deveniatur, quae est ultimum Ecclesiae iudicium, post quod nihil amplius discentur, ac desideratur.

Tertia differentia est, quia beatificatio esse solet limitata, ut dixi quae. 1. ad unam nempe Provinciam, seu Religionem, ut tantum in ea Missa, & officium celebretur, at canonizatio extendit se ad totam universalem Ecclesiam, ut omnes de eo Missam celebrare, ac officium recitare valeant, & ubique ei altaria, capellas, ac templa dedicare, ac consecrare possint.

Quarta differentia praeter beatificationem, haec enim plane sine ulla sit solemnitate, seu Papa tantum in suo Palatio concedit licentiam recitandi officium de tali defuncto. At canonizatio summo, ac valde pomposo apparatu fit, ut constat ex bulla beatificationis S. Andreae Cursini. Ubi inter alia sic habetur. Praemissis precibus

Greg. XIII. Naldus. Thesaurus.

Lezana.

Navarr. Quaranta.

Navarr. Prosp. Aug.

Navarr.

Vvalden. Bellarm.

Alexand. III. Innoc. III.

Bellarmin. Scachus. Baldellus.

4.

1.

Luc. 23. 3. Reg. 10.

D. August. Boëtius.

2.

Urban. VIII.

S. Castellin. Gallefin. Troylus.

Cantelorus. Scachus. Lezana.

6.

Urb. VIII.

7.

8.

9.